



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XVII. Vtrum motium volendi credere fundetur in euidencia credibilitatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Ad 2. In auctoritate humana Ecclesiæ, nec adæquate, nec inadæquate continetur summa certitudo & metaphysicè indefectibilis, quæ est propria, & peculiaris perfectio Fidei diuinæ, derivata ex motu ipsius. Ergo humana Ecclesiæ auctoritas, quatenus humana præcise est, est pura conditio sine qua non, respectu assensus Fidei diuinæ, utpote continens in se certitudinem illius secundum rationem genericam cum ratione differentiali opposita rationi differentiali, quæ est propria eiusdem Fidei, uti opponitur certitudo moralis, idest certitudo coniuncta cum aliqua incertitudine, certitudinipenitus infallibili. Constat autem ex quæst. 14. eiusmodi continentiam virtualem effectus, non sufficere ad rationem causæ, nec extrahere à ratione conditionis sine qua non.

Art. 1. Ad 3. Si quid ea ratio convinceret, convinceret planè revelationem Dei passivam adæquate sumptam posse esse motuum actus scientifici, quo cognosceretur evidenter, eam locutionem esse propriam Dei, & vera esse, quæ per illam reuelantur. Quia ex medio essentialiter connexo cum aliquo termino, quatenus sic connexo, non Fides, sed scientia eius termini comparatur. Quod si non comparatur evidentiæ scientiæ circa eum terminum, nulla circa eundem certitudo omnino infallibilis comparabitur, mouente tali medio. Quia quod non comparatur scientiæ, non poterit provenire, nisi ex imperfecta talis connexionis cognitione, non valente discernere evidenter, sed tantum probabiliter, aut nullatenus medium essentialiter connexum cum termino, à medio non sic connexo. Cuiusmodi imperfectio cognitionis circa medium, nullam ratione sui potest gignere certitudinem circa terminum, certè omnino infallibilem genere non potest, ut patet. Cognitionis autem immediata, quam de facto habemus de passiva Dei revelatione, est imperfecta eiusmodi imperfectione. Alias Fides nostra nec circa rem reuelatam esset obscura, & physicè negabilis, uti de facto est.

Art. 2. Quare infallibilitatem passivæ Dei revelationis, & quod diuina sit, atque essentialiter connexa cum veritate reuelatorum, non evidenter cognoscimus, sed Fide credimus ob auctoritatem diuinam. Ratio autem, ob quam necesse est, ita imperfectè à nobis cognosci passivam Dei revelationem, cognitione orta ab eadem revelatione tanquam à motu immediato, tradetur infra, dum exponetur obscuritas Fidei nostræ. Ipsa namque Fides est, vel maxime connexa essentialiter cum revelatione Dei interna, & obiecto per eam reuelato, atque identificata cum infallibili veritate, & conformitate inter ipsam, & eius obiectum; Et tamen nequit ratione sui præcise esse medium cognitionis evidentiæ circa eam, aut revelationem, aut veritatem, sed utramque sola Fide cognoscere possumus.

Art. 3. Ratio autem in summa est. Quia neutra connexio convenit participatiuè, sed tantum terminatiuè, tam revelationi passivæ, quam actui fidei. Cum ergo nulla auctoritas creata, neque villa Dei actio, aut effectus editus in tempore, quibus velit nobis manifestare suos conceptus, possit esse motuum nostræ fidei, patet nihil creatum posse esse motuum eius vel totale, vel partiale. Sola ergo Dei veritas est motuum eius adæquatum.

Ad 4. Non omnis applicatio consistit in indivisibili, quoad rationem formalem applicationis: sed aliqua potest esse maior, & minor, maxime quæ intentionalis est. Hæc enim potest obiectum causatiuum actus applicare cum maiori, & minori claritate, atque secundum diversas formalitates, ac proinde inducere sua diversitate, diversos specie actus circa tale obiectum. Ergo ex eo, quod auctoritas humana Ecclesiæ sit talis applicatio respectu fidei diuinæ, de-

duci nequaquam potest, quamlibet applicationem, & propositionem testimonij diuini sufficere, de quo iterum infra plenius dicetur.



QVÆSTIO XVII.

Vtrum motuum volendi credere fundetur in evidentia credibilitatis?



IDETUR non fundari 1. Quia non potest aliquid esse evidenter credibile, quin sit evidenter possibile; sicut è conuerso non potest aliquid esse evidenter impossibile, quin sit evidenter incredibile. Aliqua autem mysteria nostræ fidei, Trinitas personarum diuinarum, Incarnatio Verbi diuini, peccatum originale, non sunt evidenter possible; atque cætera mysteria sunt credibilia eadem credibilitate, quæ credibilia sunt ista non evidenter possible; nempe omnia creduntur eadem fide, omniumque credibilitas habet eadem fundamenta. Ergo nulla mysteria fidei sunt evidenter credibilia.

2. Evidentia credibilitatis per fidem humanam, ideoque incertam non est sufficiens ad fidem diuinam; ideoque certam, ut patet. Evidentia autem credibilitatis per fidem diuinam, non datur: Tum quia ipsa diuina, & omnino certa fides, neque quoad existentiam, neque quoad credibilitatem cognoscitur à nobis evidenter, sed eadem fide creditur, quæ creduntur à nobis cætera mysteria: Tum quia quod evidenter cognoscitur esse credibile fide diuina, ideoque certa, ac infallibili, eo ipso evidenter cognoscitur esse verum; quod repugnat mysterijs fidei, ut modo dicebatur, & præterea est contra conceptum actus fidei, ut essentialiter præsupponat iudicium evidens de veritate sui, & obiecti ad quod fertur.

3. Evidentia credibilitatis mysteriorum nostræ fidei, dari non potest absque exacta notitia argumentorum eiusdem fidei, quæ nimirum fundant iudicium de ea credibilitate. Carent autem exacta ista notitia plerique credentium: quia illa argumenta sunt profundissimæ considerationis, cuius plerique sunt incapaces. Ergo evidentia credibilitatis non necessario præstat actum fidei.

4. Fides nostra est cognitio essentialiter obscura; Repugnat autem obscuritati cognitionis, evidentia obiecti prout attingibilis per ipsam. Ergo repugnat fidei diuinæ, evidentia de credibilitate obiecti per ipsam fidem.

5. Evidentia credibilitatis prærequisita ad actum fidei diuinæ, nec naturalis esse potest, nec supernaturalis. Non quidem naturalis, quia habet sibi essentialiter coniunctum actum primum proximum, respectu actus fidei, qui est supernaturalis. Neque verò supernaturalis esse potest, quia ante fidem nihil salutare, adeoque nullum supernaturale donum dari potest, ut sæpe dictum est ex Augustino in qu. de Gratia.

Art. 1. Resp. Ad credendum requiritur imperium voluntatis, quo determinetur intellectus ad actum credendi. Nemo enim credit nisi volens; ut dicit Augustinus. & quisque per experientiam conicit se suspendere quoties libet, assensum, quo alteri credit. Patet autem imperium, istud voluntatis, non posse esse prudens, nisi præeat iudicium de sufficienti credibilitate obiecti, cum fundamento magni ponderis inclinante ad credendum. Nam qui cito credit, lenis est corde, uti docetur per Spiritum Sanctum; & idem iudicium

temerarium est imprudens, & inhonestum, quia iniungitur intellectui per voluntatem absque eiusmodi fundamento, impellente vitiosa animi leuitate: Eoque ipso abutitur voluntas intellectu, qui à Deo datus est ad cognoscendum verum, atque ipsa precipitem illum agit, dum sic cogit, absque vilo veri, & falsi discrimine, & iusto vtriusque examine. Eò autem credibilitas est maior, & maiori innixa fundamento, quò firmius, & magis iubetur intellectus, vt adhæreat obiecto, quod credit; atque ista proportionem non leuiter, imperium voluntatis foret similiter imprudens, & inhonestum. Sicut enim ad credendum prudenter requiritur fundamentum credibilitatis simpliciter; Ita ad magis, seu firmius credendum prudenter requiritur maius fundamentum, maiorque notitia credibilitatis.

Art. 2. Quapropter si quidem intellectus per actum fidei diuinæ fertur in obiectum summa cum certitudine, illudque amplectitur cum pari adhesionem absque vlla prorsus formidine, imò & absque vilius possibilitate formidinis in sensu cumposito talis actus; prærequiritur proculdubio ad credendum fide diuinæ summæ credibilitatis summa notitia; hoc est euidencia credibilitatis absque vlla formidine. Ita vt necesse sit credentem fide diuinæ præhabere iudicium euidentem, quo cognoscat se posse, ac debere credere absque vlla formidine, quod sibi credendum proponitur, ac proinde voluntas imperans actum fidei diuinæ fundatur in tali euidencia, & dirigitur iudicio, quo euidenter cognoscitur mysterium esse credibile propter auctoritatem diuinam absque vlla formidine. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 4. ad 2. Addit Suarez disp. 4. de Fide, sect. 3. rem esse de qua nullus Catholicus possit dubitare; & idem omnes Theologi vnanimi consensu veniunt in hanc sententiam apud Magistrum in Prol. & apud D. Thomam dicto art. 4.

Art. 3. Colligitur communiter ex illo Psalm. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Hic enim exaggeratus dicendi modus, non rectè cadit in credibilitatem euidentem minorem. Nam quod per nimietatem rectè significatur, summam in eo genere attingit: declaratur modo, quo declarari potest significatissimo. Eodem pertinet, quod dicit Paulus Hebræor. 2. de fide salutis æternæ: *In nos confirmata est contestante Deo signis & portentis.* Et quod dicitur Marc. 16. de prædicatione fidei, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis;* hoc est operibus euidenter demonstrantibus eum sermonem esse acceptabilem, vt diuinum, nullumque propterea relinquendis excusationis locum, nolenti illum acceptare, vt talem. Qua de causa Christus Dominus Ioan. 13. 24. ait, *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem, &c.* Ob hæc, & similia testimonia censet Amicus, probabilius de fide esse istam euidentem credibilitatem articulorum fidei. Licet autem hæc testimonia directè loquantur de credibilitate, qualis de facto datur, satis tamen demonstrant eo ipso, qualis necessariò esse debeat, quia fides Deo adhibenda ex suo conceptu habet, vt sit tam certa, ac infallibilis atque est de facto, atque adeò, vt præsupponat tantam, & tam patentem credibilitatem, quanta, & quam patens perhibetur esse de facto.

Art. 4. Confirmatur deinde ratione Theologica, quia credenti aliquid fide diuinæ, est impossibile, vt ab illa aliquando recedat, absque peccato, dum non peruenit ad euidentiam rei creditæ, & quoad hoc fides diuinæ habet statum inuariabilem, & indefectibilem, qualem tamen habere non posset, si non præsupponeret iudicium euidentem de eiusmodi credibilitate. Quia iudicium probabile est variabile ex multiplici causa, atque variato iudicio de credibilitate, eo ipso

variatur actus credendi prudenter conceptus. Nam qui credendo transgreditur terminos credibilitatis antecedenter præcognitæ, eo ipso est imprudens. Qui ergo credit absque formidine, & cum impossibilitate discredendi absque peccato, vel etiam formidandi, necesse est, vt habeat euidentiam de eiusmodi credibilitate.

Art. 5. Præterea, quicumque non credit Fide diuinæ articulos sibi sufficienter propósitos, eo ipso peccat peccato infidelitatis, vt infra dicitur; nec vlla vi, aut arte facere potest, vt non credat, simulque non peccet. Ergo quicumque percipit articulos sibi sufficienter reipsa propósitos, eo ipso habet euidentiam obligationis ad credendum fide diuinæ. Ergo eo ipso habet etiam euidentiam credibilitatis articulorum per fidem diuinam. Patet prima consequentia, quia si cognitio obligationis ad credendum necessariò, ac inenitabiliter coniuncta cum sufficienti propositione articulorum esset tantum probabilis, posset libere suspendi; siquidem cognitio probabilis non necessitat physicè intellectum ad assensum sui obiecti, eaque cognitione prætermittitur, seu non habita, non peccaretur non credendo eos articulos; quandoquidem nemo peccare potest absque cognitione obligationis ad oppositum. Patet secunda consequentia, quia cum sit per se notum, neminem teneri ad impossibile, implicat dari euidentiam obligationis credendi fide diuinæ, atque adeò absque formidine, simulque non dari euidentiam credibilitatis per fidem diuinam, & absque formidine; hoc est, possibilitatis, & fundamenti sufficientis ad credendum fide diuinæ.

Art. 6. Denique implicat aliquem euidenter cognoscere, quod adsit sufficiens fundamentum credendi aliquid absque formidine; quin cognoscat euidenter id esse credibile absque formidine. Prudens nimirum credibilis, de qua loquimur in præfati, est indistincta à sufficientia fundamenti. At implicat credentem Fide diuinæ, non cognoscere euidenter, quod adsit sufficiens fundamentum ad credendum absque formidine. Ergo implicat eundem non cognoscere euidenter credibilitatem absque formidine. Patet minor, tum quia qui formidat circa sufficientiam fundamenti, necesse est, vt formidet circa rem, quam credit, nec enim confluere potest, stabile, ac firmum adificium supra fundamentum ruinolum: Tum quia qui prudenter credit, fidem suam, modumque credendi accommodat fundamento credibilitatis, & modo, quo illud cognoscit, vt superius iterum dicebatur. Implicat autem, vt operetur imprudenter, qui reipsa credit Fide diuinæ. Apparet igitur ex his clare motuum volendi credere fide diuinæ, & honestatem eius volitionis fundari in euidentia credibilitatis, eamque essentialiter præsupponi ab actu imperante eandem diuinam fidem.

Ad 1. Plura falsa sunt verissimiliora quibuldam veris, vt dicit Philosophus; & contingit aliquid reipsa impossibile affirmari possibile ab homine fide digno, eoque illud reddi credibile apud ignorantem. Ratio est, quia possibilitas conuenit rei, vt est in se; credibilitas verò, vt subest auctoritati dicentis, & circumstantiis suadentibus ipsum eam dicere. Sicut autem hæc duo sunt inuicem realiter distincta, etiam quando sunt inuicem conuertibilia; ita etiam sunt possibiles distinctæ, & inuicem separabiles euidentie de illis, saltem respectu intellectus imperfecti, non penetrantis conuertibilitatem vtriusque euidentie; tametsi reipsa contingat adesse eam conuertibilitatem respectu intellectus perfecti. Iam euidentia impossibilitatis, idè aufert euidentiam, imò & probabilitatem credibilitatis, quia euidenter ostendit loquentem

in contrarium falli, aut fallere, quo subuertitur eius auctoritas, & consequenter credibilitas rei fundata in ipsa auctoritate.

Ad 2. Evidentia credibilitatis necessaria ad fidem diuinam, est evidentia de credibilitate rei per eandem diuinam fidem; diuinam verò obiectiue, non efficienter ex parte obiecti, & non ex parte principij, siue, vt præstandam diuinæ auctoritati, non vt infundendam per se à Deo. Hæc enim duo siue sint, siue non sint inuicem conuertibilia, & indistincta realiter in seipsis, sunt certè separabilia formaliter in nostra cognitione ob eius imperfectionem. Sicut etiam in eadem ob eandem rationem est separabilis certitudo nostræ fidei excludens omnem formidinem à veritate eiusdem. Quare supernaturalitatem, infusionem, & veritatem nostræ fidei, credimus quidem certò per ipsam fidem, non tamen euidenter cognoscimus, licet cognoscamus euidenter nos posse credere Deo absque formidine, nempe evidentie formalitatem, & rerum mutuo inseparabilium, sunt separabiles, & separantur tempore in nostro intellectu, vt patet exemplo euidentie de Deitate, & euidentie de Trinitate personarum.

Ad 3. Licet evidentia credibilitatis mysteriorum nostræ fidei dari non possit absque exacta notitia argumentorum illius, dari tamen potest, saltem supernaturaliter, absque exacta notitia immediata, & explicita eorum. Nec enim ad eam evidentiam, quidquam interest, an ea argumenta exactè cognoscantur immediate, & explicitè in seipsis, an mediatè, ac implicitè, & æquiuocè, per demonstrationem magis compendiosam circa aliquem eorum effectum. Alterutro autem ex his modis omnes credentes, & quoties credunt fide diuina, præcognoscunt exactè omnia ea argumenta, vt dicitur quæst. seq. & qu. 21.

Ad 4. Obscuritas Fidei non repugnat evidentie credibilitatis, quæ distinguitur à re credibili, sed evidentia rei in se, atque coherere optimè potest evidentia circa aliquod prædicatum extrinsecum rei cum obscuritate circa eandem rem, vt est in se.

Ad 5. Ex argumentis Christianæ Fidei potest suboriri tum naturalis, tum etiam supernaturalis evidentia credibilitatis. Sed non est utraque evidentia de credibilitate eiusdem generis, nec ab eodem principio adæquato dependet, nec effectum parit eundem. Evidentia namque naturalis est de credibilitate prudenti quidem, sed non absque aliqua, saltem minima, formidine. Sicut enim totalis exclusio formidinis ab actu credendi excedit vires naturæ, ita etiam excedit evidentia excludibilitatis eius. Atque hinc est difficultas maxima conciliandi obscuritatem fidei, cum summa eius certitudine, ac infallibilitate, vt apparebit quæst. 22. Deinde eadem evidentia oritur ex motiui purè naturali signorum sensibilium secundum se, & ex sola actiuitate naturæ, paritque actum credendi naturalem, prudentem quidem, sed aliquatenus formidolosum. At evidentia supernaturalis est de prudenti credibilitate absque vlla prorsus formidine, oritur ex auxilio Gratie Dei, & ex motiui supernaturali, vt supernaturali, estque per se inductiua actus credendi minimè formidolosi. Neutra verò evidentia habet sibi essentialiter deunctum actum primum proximum credendi, siue naturaliter, siue supernaturaliter: quia solam cognoscit credibilitatem, quantum est ex vi fundamenti, & obiecti, & quæ est supernaturalis, idè non est ante fidem, phrasi Augustiniana, & Conciliorum, quia sub nomine fidei intelliguntur promiscuè omnes actus supernaturales, qui per se interueniunt in opere salutariter credendi.



QVÆSTIO XVIII.

Vtrum Christiana Fidei Suppetant Argumenta euidentis credibilitatis Mysteriorum eius?



DE TVR non suppetere. 1. Quia non potest esse euidenter credibile, quod probabile est non esse credibile. Probabile autem est non esse credibilia prudenti nòe, de qua est sermo, mysteria nostræ fidei. Probabile namque est, quod nititur magno aliquo fundamento, qualia sunt multa fundamenta aduersus ea mysteria; vt aduersus Mysterium Trinitatis; Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Aduersus peccatum originale: Non posse iuste puniri, & priuari sine suo eum, qui nihil mali egit propria voluntate: Præter ea, quæ militant aduersus Mysterium Incarnationis, & plura alia, quibus nulla maiora, ac virgentiora produci possunt, aut solent pro vlla opinione probabili.

2. Quod est euidentis, à nemine negari potest calente principia, ex quibus ea evidentia dependet. Plures autem homines ingeniosi, acuti, disertis, ac diligentis disquisitionis impugnant argumenta Christianæ fidei intellecta utique sufficienter ab ipsi, & negant ea sufficere ad prudentem credibilitatem. Ergo hæc credibilitas non est euidentis.

3. Actus fidei prædicatur à Sanctis Patribus maxime meritorius apud Deum; non est autem maxime meritorium id credere, quod est euidenter credibile, maxime ea credibilitate, quæ euidenter ostendat, non posse credi oppositum nisi fatuè, ac stultè. Ergo argumenta Christianæ fidei non faciunt evidentiam credibilitatis, saltem qualis modò propofita est.

Art. 1. Res. Ostensa necessitate euidentis credibilitatis, per ea, quæ dicta sunt in quæst. præced. oportet iam ostendere adesse Euangelio, vnde ea evidentia habeatur, quæ est materia admodum locuples efficacissimè dicendi: quæ tamen necesse est, vt à nobis pro instituti nostri ratione, & pro aditu disputationis tantum, breuissimè perstringatur, attingendo per summa solum capita earum momenta rationum, quæ euidenter ostendunt credibile esse, auctorem Doctrinæ Euangelicæ esse Deum; ideoque ipsam prudenter suscipi posse, ac debere tanquam diuinam, seu Fide diuinam, absque vlla prorsus formidine.

Art. 2. Primum itaque hanc in rem argumentum est, quod plurimi faciunt, & insuperabilis eloquentiæ, ac rationis viribus virget Augustinus l. 22. de Ciuit. Dei cap. 5. Naturalis scilicet incredibilitas doctrinæ Euangelicæ coniuncta cum fide naturaliter æquè incredibili, & nihilominus præstita illi de facto à doctis, & indoctis, numero credentium innumerabili, Doctrina Euangelica est partim speculatiua, partim practica immediate, & quoad utramque partem continet aliqua naturaliter incredibilia. Verum vtrilibet conuenit incredibilitas diuerse rationis; pars enim speculatiua est naturaliter incredibilis propter naturalem repugnantiam intellectus: Practica verò propter repugnantiam insuper specialem appetitus, qui etiam ipse in opere credendi exercetur. E pendetur autem prius ea pars, quæ speculatiua est; quia minus dependet ab altera parte, quàm e conuerso; & quia Augustinus in eam solam oculos coniecit.

Art. 3. Doctrina igitur Euangelica quæ speculatiua est,